



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina  
Ecclesiae Oeconomia**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1611**

VI. De tribus alijs Ecclesiae proprietatibus & præcipuis notis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

## CAPVT SEXTVM.

De tribus alijs Ecclesie proprietatibus, & precipuis notis.

Quę de vnitāte ecclesie diximus sufficere potuissent ad alias eius notas, ac proprietates manifestandas; vt tamen totum negotium facilius reddatur, & lectori Catholico magis satisfaciā, obiter ordine quodā seruato de tribus alijs agemus.

Confitemur itaq; in Symbolo Apostolorū ecclesiam esse sanctā; & hanc sanctitatē eius notam, ac proprietatē esse à Patribus & doctoribus edocti asserimus. Quod ipsū multis rationibus nobis persuadet: Primò, Si. n. res inamata, si Deo consecrata, aut dicata fuerint, sacra & sancta appellētur, quātò magis ecclesia Christianorū, qui secundū Apostolū, Deo dicati sunt, merito iure sancta nūcupabitur: Neque obest, q̄ in hac cōgregatione multi peccatores inueniātur, cū ipsemet Paulus non vereatur Corinth. quos tā acriter reprehēdit, & inter quos maximi aliqui peccatores erant, sanctificatos & sanctos

*Ecclesia sancta est.*

*Rom. 1.*

*1. Cor. 1.*

sanctos appellare. Secundò, ecclesia  
sancta dicitur, quia caput eius sanctum  
est: Vnde August. super illud Psalmi

*Aug. sup.*  
*psal. 85.* Custodi animam meam quoniam ego sanctus sum, distinguens vocem sancti  
ait, Si dicatur sanctus quasi sanctificatus,  
secundum id quod dictum est; Sanctus esto  
te, quoniam ego sanctus sum, audeat  
corpus, audeat & unus ille homo clamare  
de finibus terre cum capite suo, & sub  
capite dicere, Sanctus sum: Non est ista  
superbia elati, sed confessio non ingratis

*ephes. 5.* Tertio dicitur sancta, quia in ea est ve  
rum sacrificium, variaque sacramen  
ta aptissimo modo sanctitatem causan  
tia reperiuntur; ideoque Paulus ait  
Christus dilexit ecclesiam & seipsum  
tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, munda  
dans eam lauacro aquae in verbo vitae, ut  
exhiberet ipsam sibi gloriosam ec  
clesiam, non habentem maculam aut  
rugam, aut aliquid eiusmodi; sed ut sit  
sancta & immaculata. Vnde & Petrus  
*1. Petri. 2.* huius ecclesiae membra genus electum,  
regale sacerdotium, gentemque sanctam  
appellat.

Secunda itaque proprietas ecclesiae  
Christi est quod sit sancta; Synagoga  
autem

autem Iudæorum, sectæ hæreticorum,  
 & scismaticorum conuenticula om-  
 nimodè hac sanctitate priuantur; vn-  
 de trementes, ac timentes allegatum  
 illud Hieronimi audiant, *Quicūque ex-  
 tra hanc domum Agnum comederit pro-  
 fanus est*: Ego autem non solum eos  
 profanos, & omnis sanctitatis inanes  
 dico; verum etiam extra viam salutis  
 constitutos, medio ad illam perueniē-  
 di carere assero. Licet enim hæretici  
 & scismatici cum baptismum suscipe-  
 rent, sanctificati sint; quia tamen à cor-  
 pore ecclesiæ se separauerunt, profa-  
 nati sunt: *Ab arbore frange ramum, in-  
 quit Cyprianus, & fractus germinare  
 nõ poterit: à fonte præcide riuum, præci-  
 sus arefcet.*

Sed ad tertiam ecclesiæ proprieta-  
 tem, & notam deueniamus; quæ in eo  
 consistit quod Catholica sit, & nomi-  
 netur; hoc enim nomen ei tam pro-  
 prium est, & peculiare, vt Augustinus  
 dicat, *Tenenda nobis est Catholica Reli-  
 gio, & eius ecclesiæ communicatio quæ  
 Catholica est & nominatur: non solum à  
 suis; verum ab omnibus, etiam inimicis.*  
*Velint enim nolint ipsi quoque hæretici*

C. 5.

&amp; scis.

Hieron.  
 ep. 57. ad  
 Damaf.

Cypr. de  
 Vnitat.  
 eccles.

Ecclesia  
 est & di-  
 citur ca-  
 tholica.

Aug. de  
 vera Re-  
 lig. c. 7.

& scismatum alumni, quando non cū  
sed cum extraneis loquuntur, catholicam  
nihil aliud, quā catholicam vocant: Non  
enim possunt intelligi, nisi hac eā voce  
scernāt, quā ab vniuerso orbe appellāt.

Quæ Augustini verba etiam nostri  
tempore locum habent; cuius eni  
notum est, nostri sæculi hæreticos,  
saltem intelligi velint, cum de nobis  
agunt, nihil minus facere posse, quā  
si ecclesiæ nostræ, catholicæ; nobis an-  
tem Christianis, Catholicorum nomi-  
tribuant: familia enim Christi & reg-  
nū ecclesiæ nostræ in vniuersum orbem  
disseminatum est, vt S. Irenæus docet.  
Hæc ergo sola ecclesiā verè dicitur ca-  
tholica & vniuersalis: Eā aut per totum  
terrarum orbem expandi, tam expe-  
rientia probat, quam Beati in celo  
apud S. Ioannem fatentur dicentes,  
Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex  
omni tribu, & lingua, & populo, & natio-  
ne, & fecisti nos Deo nostro regnum. Se-  
cundò potest hæc nostra ecclesiā dici  
vniuersalis, seu catholica, eò quod  
omnes omnino fideles, qui ab Adamo  
& Abel fuerunt, & vsque ad vltimum  
iudicij diem erunt sua vniuersalitate.

Iren. lib.  
3. cap. 1.

Apo. 5.

Aug. ep.  
179.

comprehendat; fundata enim est supra Ephes. 2.  
fundamentum Apostolorum. & pro-

phetarum ipso summo angulari lapide  
Iesu Christo; qui fecit utraque unum,  
ut Apostolus loquitur: Ideoque Apo-  
stolos suos ad prædicandum mittens  
dixit: *Euntes in mundum uniuersum*  
*predicite euangelium omni creatura.*

Math. 28.  
Mar. vii.

Concludo itaque cum Venerabili  
Beda, & dico, Quod sicuti est  
vnus Dominus, vna fides, vnum ba-  
ptisma, vnus Deus & pater om-  
nium; ita etiam est vna quædam ho-  
minum multitudo Christianorum  
omnium temporum, & locorum, soli  
Deo & Patri subiecta. Ex quibus  
omnibus est quod nos Christiani,  
& Catholici maximam consolatio-  
nem, ac lætitiã capiamus: Quis e-  
nim nõ gaudeat cū se mēbrū tā ample,  
ac per totū orbē expansæ familię vi-  
det? Eat Christianus quocunq; placue-  
rit, semper fratres in domino, quos  
amplexetur, quos sūmo amore, ac fra-  
terna charitate exosculetur inueniet:  
Nõ hoc Sectarijs, alijsue pfanis homi-  
nib<sup>9</sup> datū est, diuisi enim sūt, & in par-  
tes secti, singuli per loca singula, eaq;

exiguã

exigui spatij distribuuntur. Plura autem de amplitudine ecclesie annotabimus, cum de eius propagatione, & dilatazione agemus.

*Ecclesia  
est Apo-  
stolica.*

Nunc autem de quarta quoque ecclesie nota ad domesticorum eius maiorem consolationem aliquid dicendum erit. Hæc autem proprietas in potissimum sita est, quod ipsam ab apostolis acceptam doctrinam absque ulla, vel in minimis variatione docent. Hæc itaque semper antiquiores retinuerunt, & moderni nostri iactant, apostolorum discipulos sese esse, præter proprii cerebri, nullum misterium admittentes, nihil minus. Nam cum doctrinam Apostolicam, & euangelicam sequi debuissent, in contrarium abrepti quantum possunt contradicunt, nouamque doctrinam prout errorum ferax eorum phantasia suggererit, cadunt: Non ita Catholicæ, quantumcunque enim docti, si nihil apostolicæ doctrinæ contrarium docere præsumunt; imò si casu aliquod hominum est, in errorem cuius negotium fidei, aut morum materia incidissent, seipso non solum apostolicæ

licis scriptis, sed etiam Apostolicæ  
 sedis, ac totius ecclesiæ correctioni  
 subijciunt; vnde pulchrè id ipsum. *Iren. lib. 1.*  
*aduer. hæ-*  
*uersum mundum disseminata, quasi vnâ* *ref. c. 3.*  
*animam habens, & vnum cor, consonan-*  
*ter hæc* (scilicet ab Apostolis tradita,  
 de quibus immediatè ante egerat) præ-  
 dicat, docet, & tradit quasi vnum possi-  
 dens os: Nam etsi in mundo loquela dissi-  
 miles sunt; sed tamen virtus traditionis  
 vna & eadem est. Et neque hæc, quæ in  
 Germania fundata sunt ecclesiæ, aliter  
 credunt, aut aliter tradunt; neque hæc, quæ  
 in Iberis sunt, neque hæc, quæ in Celtis, neque  
 hæc, quæ in Oriente: neque hæc, quæ in AE-  
 gypto, neque hæc, quæ in Lybia, neque hæc, quæ  
 in medio mundo sunt constituta. Sed sicut  
 sol omni creaturæ Dei in vniuerso mundo  
 vnus & idem est: sic & lumen prædica-  
 tio veritatis, vbique lucet & illuminat om-  
 nes homines qui volunt ad cognitionem  
 veritatis venire. Et neque qui valde præ-  
 ualet sermone ex ijs, qui præsunt ecclesiis,  
 alia quam hæc sunt dicet, nemo enim su-  
 pra magistrum est: Neque infirmus in di-  
 cendo deminorabit traditionem: cum e-  
 nim vna & eadem fides sit, neque is qui



multum potest dicere, ampliat; neque is qui minus, deminorat. Et huc vsque diuina penè vetustissimi doctoris & gloriosissimi martyris verba sunt, quibus doctrinã ecclesiæ ab ipsis apostolis sine vlla variatione descendisse profitetur; ideoq; apud nos Apostolorum Symbolum, & Omnes fidei articuli eidem manent; hereticorum dogmata ex anno in annum ad Dogmatistarum placitum, imò subinde Principum iussum, commutantur. Dicamus itaq; ideo ecclesiam Dei veram, apostolicam appellari, eo quod ubiq; terrarum per omnia eandem, sibiq; similem doctrinam ab Apostolis continuata Traditione acceptam, teneat, ac prædicet.

*Heretici  
sua dogmata  
variant.*

*Ecclesia est  
Romana.*

Corollarij autem loco de quinta quadam proprietate, quæ modo nominatissima est, aliquid dicamus. Itaq; præterquam, quod vera Dei & Christi in terris ecclesia vna, sancta, Catholica & apostolica sit, hoc tempore ob hereticorum importunitatem eam Romanam cognominamus, eò quod Romæ sit, ubi S. Petrus Ecclesiæ huius summum caput sedem suam, ut alibi videbimus fixit, ac stabilivit: Hæc nota adeo propria

*est.*

est verę ecclesię, vt eam nostri tempo-  
ris hæretici, quãquam priores omnes  
ambient, nobis solis libenter conce-  
dant; & licet se nos hac nota, aliqua  
ignominia affecturos sperarint; maxi-  
mè tamè honorarũ seseque extra Pe-  
tri nauiculam, ab vnitæte, & sanctitate  
Ecclesię, ac doctrinę apostolica remo-  
tissimos esse apertè demonstrarunt.

Fugiamus itaque tenebriones illos,  
& in domo Dei tot illustribus notis in-  
signita perseueremus: & cū Hieroni-  
mo idè monete cõcludamus, dicentes,  
*Quia prolixitas concertationis audientium  
studia lassauit, breuè tibi, apertèq; animi  
mei sententiã proferã: In illa ecclesia est  
permanendum, quę ab Apostolis fundata  
vsq; ad diẽ hanc durat. Si audieris, qui di-  
cuntur Christi, nõ à Christo nuncupari, vt  
puta Marcionitas, Valerianos, Montē-  
ses seu Cãpates; scito nõ esse ecclesiã Chri-  
sti, sed Antichristi Synagogã. Ex hoc ipso  
n. quod postea instituti sunt eos se esse iu-  
dicat, quos futuros, Apostolus prænuñciauit.*  
Hęc ille: Prophetia aut Pauli cuius hic  
meminit Hierõ. his verbis cõtinetur,  
*Spiritus manifeste dicit quia in nouissimis  
temporib' discedet quidã à fide, attēdentes*

Hieron. i. 10.  
Dial. ad-  
uers. Lu-  
cifer.

1. Tim. 4.

Spiri.

Spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum, hypocrisi loquentium mendacium & cauteriatam habentium consciētiam. Tales autem sunt omnes ij, qui hactenus doctrinam apostolicam, quam Ecclesia catholica tenet, & docet, oppugnarunt, & etiamnum oppugnant, ut Lutherani, Calvinista, Anabaptista, & reliqui nostri aui sectarij.

Recedamus ergo ab eis, mores eorum depravatos detestemur; & gaudio pleiialacriter viuamus in Ecclesia Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, & Romana, donec tandem æterna beatitudinis finem felicissimum consequamur.

#### CAPVT SEPTIMVM.

De fine ac scopo in quem Christus suam sanctam ecclesiam destinauit.

Compertum est inter doctos, Omne agens per intellectum semper sibi certum aliquem finem præfigere, in quem suum opus dirigat: Quis ergo vel suspicari audebit, Christum summum artificem, utpote qui Deus & homo erat, dum ecclesiam suam institue-

ret,  
nun  
hoc  
aut  
que  
A  
ro a  
ciui  
deb  
mor  
peti  
ata  
visti  
Qu  
exp  
loc  
nico  
niti  
mū  
ter,  
cū t  
ris,  
bus  
esse  
alic  
bilo  
loc  
que

ret,